

CAPUT XXXIII.

APPENDIX DE FORMULIS ET MODIS SCRIBENDI LITTERAS SEU
INSTRUMENTA SPECTANTIA AD CAPITULUM.§ 1. *Prænotanda.*

I. Si in aliqua ecclesia a multo tempore certa vigeat formula scribendi instrumenta, non faciliter mutanda est, modo manifesto vitio non laboret : jus enim hujusmodi formulas non determinavit : unde quælibet ecclesia suum stylum, præsertim antiquitate venerandum, in hac materia laudabiliter sequitur (1). Si tamen aliqua formula contineat aliquod indecens, inconveniens aut vitiosum, oportet vel saltem expedit, ut mutetur et emendetur.

II. In provisionis litteris communiter exprimuntur : 1° assignatio et salutatio, 2° qualitas provisi, 3° vacatio, 4° collatio, 5° munera, facultates et privilegia provisi, 6° commissio seu mandatum mittendi provisum in possessionem, 7° dies et annus, atque subsignatio collatoris. Hæc non eo ordine notanda sunt, sed scribi possunt, prout sensuum et verborum structura exigere videtur.

Circa hæc notanda sunt : 1° exprimenda sunt nomen, cognomen et qualitas collatoris, et certe illa qualitas, vi cujus collationem facit; ita ut si Episcopus sit Cardinalis, non sola qualitas Cardinalis sed et Episcopi exprimenda sit : item nomen et cognomen provisi, ejusque qualitas, quam hucusque habuit.

2° Qualitas provisi, quæ eum capacem et dignum reddit ad præsens officium acquirendum.

3° Vacatio, qua ratione acciderit, an per mortem, per renuntiationem aliamve causam.

4° Collatio exprimitur per verba *conferimus, donamus, providemus* cum omnibus juribus, honoribus, fructibus, proventibus, etc.

Notandum quoque est, collationem libere ad collatorem pertinere. In sequentibus formulis supponitur, Episcopum dignitates et canonicatus conferre ex jure, privilegio aut consuetudine, abstractione facta a quacumque reservatione.

(1) Bouix de capitulis, appendix n. II.

5° Enumerantur, si expedierit, facultates, quas provisus consequitur, et officia quæ facienda habet, atque admonetur ad munera sua diligenter adimplenda (1).

§ 2. *Instrumentum collationis canonicatus.*

Episcopus N. N.

Dilecto nobis in Christo N. N. clerico diocesis nostræ salutem in Domino.

Litterarum scientia, vitæ et morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam ornari cognoscimus, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque per mortem (resignationem, etc.) N. in ecclesia nostra cathedrali vacaverit canonicatus titularis, cujus (canonicatus et præbenda, quorum) collatio ad nos pertinere dignoscitur; Nos specialem gratiam tibi facere volentes, prædictum canonicatum titularem (canonicatum et præbendam) tenore præsentium tibi conferimus cum plenitudine juris canonicalis, ac omnibus fructibus, proventibus et honoribus : volumus autem, ut fidei professionem, sicut oportet, coram Nobis et capitulo emittas; admonemus te, ut eidem canonicatui juxta Ecclesiæ leges, ac juxta statuta et laudabiles ecclesiæ nostræ cathedralis consuetudines fideliter deservias; atque mandamus dignitatibus et canonicis capituli nostri cathedralis, ut te in socium et fratrem recipiant, te vel procuratorem tuum legitimum in possessionem inducant, tibi stallum in choro et locum in capitulo assignent. Datum.

§ 3. *Instrumentum captæ possessionis per canonicum.*

Capitulum ecclesiæ cathedralis N.

In nomine Domini.

Capitulo collegialiter congregato, comparuit reverendus et honorabilis Dominus N. qui ingenue exposuit, sibi canonicatum (præbendam, dignitatem) vacantem ob mortem (renuntiationem) N, collatum esse per Rmum et Illmum Dominum Episcopum N, prout in provisionis suæ litteris, quas capitulo exhibuit, contine-

(2) Notaire Apostolique par J. L. Brunet, liv. VI, ch. III.

tur; atque instanter postulavit, ut in possessionem ejusdem canonicatus (præbendæ, dignitatis) cum juribus, fructibus et proventibus reciperetur. Præfatis litteris acceptis, et in capitulo coram omnibus prælectis, dignitates et canonici eundem reverendum Dominum in fratrem libentissime receperunt, in possessionem de more induxerunt, eique locum in choro et capitulo assignarunt. Idem quoque Dominus coram capitulo, genuflexus, fecit fidei professionem. Actum (1).

Si possessio capiatur per procuratorem, hoc in instrumento exprimendum est.

In aliquibus locis adhibentur testes, quorum tunc in instrumento quoque fit mentio. Sicut autem in jure nullus capiendæ possessionis modus assignatur, sic etiam testes adhibendi non sunt, nisi in statutis aliisve ordinationibus, ut in Gallia, præscribantur.

§ 4. *Litteræ provisionis primæ dignitatis quæ est de capitulo.*

Episcopus N. N.

Dilecto nobis in Christo N. N. salutem in Domino.

Litterarum scientia etc. ut § 2, prout circumstantiæ suadent et exigunt. Cum itaque per mortem (resignationem) N. in ecclesia nostra cathedrali vacaverit N. prima ejusdem ecclesiæ dignitas, cujus collatio ad Nos pertinere dignoscitur; Nos specialem gratiam tibi facere volentes, eam dignitatem tenore præsentium tibi conferimus cum omnibus juribus et honoribus, fructibus et proventibus. Volumus autem, ut fidei professionem, prout oportet, coram Nobis et capitulo emittas; omnino confidimus, te munera dignitatis tuæ juxta Ecclesiæ leges, ac statuta et laudabiles ecclesiæ nostræ cathedralis consuetudines fideliter adimpleturum, atque statum tuum eminentem dignis moribus et virtutibus ornaturum esse; ac demum mandamus capitulo nostro cathedrali, ut te in caput suum recipiat, te vel procuratorem tuum legitimum in possessionem inducat, tibi que debitam venerationem et honorem jugiter exhibeat. Datum.

Eadem litteræ aliis dignitatibus applicari possunt, ponendo pro prima, secunda, tertia, etc. et in fine pro *te in caput tuum*, te ut talem recipiat.

(1) Barbosa de canonicis cap. XV in fine; Bouix de capitulo, appendix n. X; Notaire Apostolique, liv. VI, ch. XVI.

§ 5. *Litteræ provisionis canonici theologalis.*

Episcopus N. N.

Dilecto Nobis in Christo N. salutem in Domino.

Sacrarum litterarum et dogmatum nostræ sanctæ religionis scientia, vitæ et morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam ornari cognoscimus, Nos inducunt, ut illud capituli Nostri cathedralis officium, quod majorem exposcit doctrinam et diligentiam, tibi committendum ducamus. Cum itaque per mortem (resignationem etc.) N. in ecclesia Nostra cathedrali vacaverit canonicatus (et præbenda) theologalis, cujus collatio ad Nos pertinere dignoscitur; Nos de tuo zelo, studio et labore plurimum in Domino confidentes, prædictum canonicatum (et præbendam) tenore præsentium tibi conferimus cum omnibus juribus, fructibus et proventibus. Volumus, ut fidei professionem prout oportet, coram Nobis et capitulo emittas; admonemus te, ut munera officii tui juxta Ecclesiæ leges, ac statuta et laudabiles ecclesiæ nostræ cathedralis consuetudines fideliter adimpleas; ac demum mandamus dignitatibus et canonicis capituli nostri cathedralis, ut te ut talem in socium et fratrem recipiant, te vel procuratorem tuum legitimum in possessionem inducant, tibi que stallum in choro et locum in capitulo assignent. Datum etc.

§ 6. *Litteræ provisionis canonici pœnitentiarii.*

Episcopus N. N.

Dilecto Nobis in Christo N. salutem in Domino.

Sacræ theologiæ scientia, vitæ et morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam ornari cognoscimus, Nos inducunt, ut illud capituli nostri cathedralis officium, quod majorem exposcit capacitatem et dexteritatem, tibi committendum duxerimus. Cum itaque per mortem (resignationem) N. in ecclesia nostra cathedrali vacaverit canonicatus (et præbenda) pœnitentiarii, cujus collatio ad nos pertinere dignoscitur; Nos de tuo zelo, habilitate et diligentia plurimum in Domino confidentes, eundem canonicatum (et præbendam) tenore præsentium tibi conferimus cum omnibus juribus, fructibus et proventibus. In hunc finem tibi concedimus jurisdictionem et facultatem

absolvendi pœnitentes (enumerantur speciales facultates, si quæ concedendæ sint). Volumus autem, ut fidei professionem, prout oportet, coram Nobis et capitulo emittas; admonemus te, ut munera officii tui juxta Ecclesiæ leges ac statuta et laudabiles ecclesiæ nostræ cathedralis consuetudines fideliter adimpleas; ac demum mandamus dignitatibus et canonicis capituli nostri cathedralis, ut te ut talem in socium et fratrem recipiant, te vel procuratorem tuum legitimum in possessionem inducant, tibi que stallum in choro et locum in capitulo assignent. Datum, etc.

§ 7. *Collatio alicujus officii, quod spectat ad capitulum.*

Capitulum ecclesiæ cathedralis N. Reverendo Domino N.

De tua probitate, idoneitate, fidelitate, et in rebus gerendis experientia et diligentia in Domino confidentes, tibi conferendum duximus officium N. vacans per mortem (renuntiationem) N. prout tibi per præsentem conferimus, sperantes, quod ea omnia, quæ ad hujusmodi officii exercitium et functionem pertinent, sedulo, debite et fideliter executurus et adimpletur sis. Datum.

§ 8. *Instrumentum electionis vicarii capitularis.*

Prænotandum est : 1º, sicut per mortem Episcopi jurisdictio transit ad capitulum, sic etiam eandem per electionem legitime factam transire in vicarium; et proinde opus non esse, neque oportere, neque expedire, ut litteræ patentes dicant aut expriment, capitulum jurisdictionem dare, diœcesis administrationem committere, etc.

2º Cum capitulum nullam jurisdictionis partem sibi reservare valeat, nullatenus ei licere, aliquam reservationem facere aut indicare, sicut in antiquis formulis legitur.

3º Non exprimendum esse, electionem omnibus, communibus vel pluribus votis peractam esse.

Capitulum ecclesiæ cathedralis N.

Rev. Domino N. salutem in Domino.

Nos Canonici capitulares, Sede Episcopali vacante a die... mensis... anni... ob mortem piæ memoriæ... Episcopi nostri, diœcesis administrationi juxta canonicas sanctiones et sacri Con-

cilii Tridentini decreta providere volentes; vocatis omnibus et singulis canonicis, illisque die et hora statuta convenientibus omnibus qui debuerunt, potuerunt et voluerunt interesse; capitulariter congregati, te elegimus vicarium capitularem, in quem eo ipso transit omnis jurisdictio cum omnibus juribus et privilegiis. Tibi ex animo gratulamur, tibi que, quatenus opus fuerit, nostrum libenter offerimus obsequium. Faxit Deus, ut officium hoc cedat in bonum diœcesis, salutem animarum, majoremque Dei gloriam. In quorum fidem præsentem scribi jussimus per infrascriptum capituli nostri Secretarium. sigillo nostro muniri, ac manu propria... primæ Dignitatis vel omnium nostrum subscribi. Datum.

§ 9. *Instrumentum captæ possessionis per Episcopum.*

Capitulum ecclesiæ cathedralis N.

Capitulo collegialiter congregato, comparuit Illustrissimus et Reverendissimus Dominus N. Episcopus promotus ad ecclesiam nostram cathedralem et sedem Episcopalem N., prout continetur in Apostolicis litteris provisionis, quas idem Reverendissimus Dominus juxta Constitutionem Bonifacii VIII *Injunctæ* in Extravag. comm. lib. I, tit. III, de elect. c. I, capitulo ostendit. Capitulum illum et Rmum Dominum omni veneratione recepit; litteras Apostolicas acceptas accurate inspexit et prælegit, iisque authenticis inventis eundem Dominum in legitimum Episcopum suscepit; consequenter omnes ei cordialiter congratulati sunt, cuncta prospera exoptarunt, atque certa observantiæ, obsequii et obedientiæ signa præstiterunt. In quorum fidem hoc publicum datum est instrumentum, a prima dignitate subsignatum. Actum.

FINIS.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA IN SÆCULA SÆCULORUM. AMEN.